

Admodum Illustri atque Excellentissimo Viro

DOMINO

LEONI ALLATIO
VIRO CLARISSIMO

Paulus Zacchias Medicus F.

Non ego paucula hæc, quæ de Magorum Stigmatibus exaravi, tuo nomini inscribens, peculiare aliquod Tibi debitum, licet multum debeam, persolvere satago, sed quantum Tibi universa litteraria Respublica debeat attestari, cui quanto emolumento sis, frustra ego ipse longa verborum circumvolutione significare coner, cum id te ipsum indefinente opera præstare unusquisque animadvertat. eandem ergo litterariam Rempublicam oratam volo, ut hoc, quod ex me in virum tantopere de illa bene meritum, honoris signum emanat, æqui bonique consulat, Te autem, ut me impensè ames, ut facis. Vale.

L I

LIBRI SEPTIMI
TITVLVS QVARTVS,

De Stigmatibus Magorum.

- 1. Magorum genus detestabile.
- 2. Republica interese Magos perdere.
- 3. Varia Magorum proprietates, & signa.
- 4. Stigmatum signa Magos certo detegenda, quantum aliqui credunt.
- 5. Stigma quid significet.
- 6. Stigmatum differentie.
- 7. Magicum Stigma quid.
- 8. Stigma Magica an dentur.
- 9. Stigmata an in omnibus Magis reperiantur.
- 10. Stigma est character impressus à Demone in Magis in vicem Baptismi.
- 11. Stigmata quam figuram sortiuntur.
- 12. Stigmata aliquando visibilia, aliquando invisibilia.
- 13. Stigmata an deleri possint.
- 14. Stigmata a caro mortua est, & ad vitam revocari non potest.
- 15. Stigmata quas condiciones habeant.

Quid sint Stigmata, de quibus hic, & historica eorum disquisitio.

Q V Æ S U T I O

Nam conclamata, ac deploratae sortis, tamque iniquum, ac detestabile malorum Magorum genus est, ut nullum habeat genus humanum sibi magis infestum, atque insensum. eo namque immanitatis huiusmodi Satanica pravitate homines deveniunt, ut præter quamplurima feritatis plena, quæ in exitium cæterorum hominum parare satagunt (veluti intolerabiles, insanabilesque simul morbos accersere, steriles mulieres, impotentes viros efficere, foetus in utero materno corrumpere, tenellos pueros necare, miserisque personas Dæmonibus obsidendas, torquendasque tradere) etiam humana viscera, horrendum dictu, in propria viscera transmittere non abhorreant. sunt vero hæc, atque fuerunt omnifæculo perualissima, ac tam crebris experimentis confirmata, ut vulgo etiam ea res notissima in omni ætate fuerit. & ad hoc, quod ultimo loco diximus, nempe eos tanquam nefarios Atreos humana viscera ingurgitare, respiciebat Coquus ille apud Plautum in Pseud. Act. 3. Scen. 3, vituperans condimenta cæterorum coquorum, inquit:

— quom condunt
Non condimenti condunt, sed Strigibus,
Vris corruptis intestina que exedunt.
Vnde Horatius in Arte Poetica;
Nem propterea Lamiæ virum puerum extrahat
alro.

Omnium tamen iniquissimum, ac detestabilissimum horum impiorum scelus est à Deo creatore suo abscedere, ut enim propriarum Animarum dispendio abominabiles commestationes, infamissimos Veneris congressus, aliaque infanda, ac detestanda oblectamenta mercari valeant, cum Morte fœdus percipiunt, & cum Inferno pactum incurrunt.
Quanti igitur Republica intersit facerrimum hoc hominum genus de terra viventium eradicare, nullus est qui non noverit; unde maxime Iustitiæ consonum est, cæterisque hominum apprime proficuum, ut cæteri unanimiter in illos conspirent, illis in cæteros quoque conspirantibus. Quoniam autem fama est, eos nonnullis singularibus proprietatibus, ac peculiaribus signis inter alios homines conspicuos fieri, ad hæc animum advertere æquum est, ut per ea detecti è medio populi succidantur. Ferunt enim nefarios hosce binas aliquando pupillas in oculis habere, quod de quibusdam populis memorat Plinius lib. 7, sine Nat. hist. cap. 2, & alii post ipsum. Eius generis mulieres in Scythia reperiri, quæ visu interimant præcipue quos iratis oculis aspererint, vocarique Vithras ex Apollonide dicit Langius, qui & similes quasdam Pontum incolere addit, & à Plutarcho Thybias vocari, sunt qui dicant, huiusmodi homines in altero tantum oculorum binas pupillas fortiri, alii, qui in altero geminam pupillam, in altero vero Equi effigiem obtinere tradant, ut idem Plinius ibidem, qui hos omnes visu tenellos pueros effascinare, atque interimere asserit, unde urentes oculos habere dicuntur. Perl. Sat. 2. Ventes oculos inhivere perita, ut dicitur, nam universim omnes vastos oculos, ac deformes, & præter modum turgidos habere notant Martin. de Arles de superstit. num. 36. & alii relati per Petr. Osterman. de Stigmat. sect. 1. Astiolog. 1. Rumor etiam est huiusmodi sceleratos à pluvia non madefieri, quin etiam pro indubitato Magorum signo eam in medium afferunt experientiam, de qua etiam Plinius loc. cit. & post alios Balduni. Ronseius Epist. Med. nu. 51. si manibus, pedibusque alligati, atque in flumen præcipitati, non submergantur, sed supernarent, contra quam tamen experientiam non defuerunt docti Medici, qui nonnulla scriptis commiserint, eamque irritam fecerint, ut Heurn. in libell. ad hanc ipsam rem dicitur præter Allat. à Kornman. in Templ. nat. hist. par. 3. concl. 3. quam tamen ille cum aliis defendit. Flammas insuper eorum nonnullos inviolabiles servari jactant, Plinius ubi supra. Firmant præterea Maleficos, Maleficasque omnes lacrimarum non facile superabilem defectum pati, nec quantumvis conentur posse eas effundere. Griland. de Sortileg. c. 9. n. 3. & ex Medicis Cæsalpin. in Dæmon. investig. Peripat. c. 13. & Codronch. de morb. venes. lib. 3. c. 4. quod signum sunt qui pro certo, & candidissimo habeant, & multa experientia jam confirmatum, sed & invincibili taciturnitate. ne sua facinora

nora prodere cogantur, etiam exquisitissimis tormentis cruciati, eos conspicuos fieri ajunt. Sprenger, in mal. Malef. par. 2. quest. 1. cap. 2. Cæsalpin. ubi proxime, & Codronchius ibidem. pleraque tandem alia hujusmodi referuntur ad Magos detegendos, quorum plura refert Delrius lib. 5. Disquisit. Magicæ quest. 5. ex quibus cum alia fabulosa potius, quam vera à doctis existimantur, alia minus famola sint, alia minus experientia comprobata, ulterioribus examinare desistam. Quod præ omnibus in horum Impiorum notitiam Judices perducere potest, cum sit inter commemorata omnia signa famosissimum, & Inquisitoribus pene omnibus non acceptissimum modo, sed, ut ferunt, multa, ac frequenti experientia comprobatum illud est, quod de Stigmatibus recensent, de quibus in præfati eo sine sermonem instituire paro, ut quantum fidere eorum inditio possint Judices, pro eo quod ad me tanquam Medicum, ac Philosophum spectat, detegam, & idcirco ea tantummodo investigabo, quæ vel Physicam, vel Medicam speculationem exposcunt; alia quæ vel ad historiam, vel ad Theologiam, aut alterius scientiæ facultatem pertinent, vel pro veris supponemus, vel utcumque admittimus, nisi quicquam quod ad historiam pertineat tanquam ab omni veritate alienissimum, rejiciendum putem. videndum ergo primo, quid sit Stigma.

Importat ergo hoc nomen Stigmatis proprie notam, aut signum aliquod, sive characterem in alicujus corpore aliquo modo impressum; unde non solum signa, quæ inuisione inferuntur Stigmata appellantur, sed etiam quæ quomodocumque etiam à Natura ipsa sponte producuntur, aut alias à prægresso aliquo morbo, aut causa præternaturali relinquantur, ut quæ in Matris utero contrahi consueverunt, ac quæ à variolis, morbillis, aliisque pustulis, tumoribus, vulneribus, aut ulceribus remanere solent. ita apud plures Auctorum hanc Stigmatum vocem accipi notare licet, peculiariter autem apud Marcellum, de medic. cap. 19. unde febrem illam, quam alii lenticularum, seu Peticularum appellant, fuerunt qui Stigmatam nominaverint. Esse autem per plures Stigmatum differentias notum est, cum alia à Natura sint, alia ab accidenti, horumque alia igne, ferro alia inflicta, alia medicamentis, & alia item sunt unius, alia alterius figuræ, alia etiam sint casu facta, alia ad aliquem præmeditatum finem procurata; sed de multiplici eorum differentia plura habet Petr. Osterman. de Stigmat. sect. 1. & seqq. Propriissime tamen Stigmata dicuntur notæ ignito ferro, aut adurentibus medicamentis impressæ, ut expresse patet apud Scribonem Largum, de Compon. med. cap. 231. & apud Ætium lib. 8. cap. 11. ubi modum quoque habes, quo hujusmodi notæ inscriberentur, quomodoque debinc nonnullis medicamentis deleri possent, sic etiam apud Paulum lib. 3. cap. 7. & apud Avicennam 7. 4. cap. 7. tract. 2. idem patet. de hoc autem Stigmatum genere locutus est Iuven. Sat. 10.

Mitius id sane quod non Stigmatum dignum creditur.

quamobrem notæ illæ, sive Characteres, qui beatis, aut mancipiis imprimi consueverunt; ut pro suis cognoscantur, proprie Stigmata appellantur, licet apud Thracem hujusmodi notæ non servitutis, sed nobilitatis signum existerent, ut ex Cicerone refert Hermanus, Hugo. de prim. scrib. orig. cap. 19.

apud plerosque tamen Populos in usu fuit, & de præfati etiam in usu est, ut his notis bestia, & servi, si quando fugiant, aut amittantur, cujus domini sint deprehendi possint; quod etiam adnotavit Galenus noster lib. 1. de diffin. puls. cap. 1. & ex hoc factum vero simile existimo, ut servi, qui alios consertos cadebant, Stigmatæ dicerentur, ut testatur Cælius Rhodig. lect. antiq. lib. 25. cap. 24. vel quod verberibus Stigmata plurima in vapulantium corporibus relinquerent, vel quod non modo alios servos verberarent, sed etiam quod illis Stigmata inirent, si fugere tentassent, vel ut cujus Domini essent agnoscerentur. licet Hermanus Hugo ubi proxime ex Nonnio, & Cicerone voluerit, quod Stigmatæ dicerentur videm servi Stigmatizati, & notis compuncti; & si non solum fugitivis servis, & cæteris forte omnibus Stigmata imprimerentur, sed etiam Reis in infamiæ testimonium, & in poenam, unde Iuvenalis Sat. 14.

Tum felix quævis aliquis, Torore vocatus, Vritur ardens duo propter lineæ ferro.

atque inde militibus, ut credo, excitabantur tales notæ in manibus, si aliquando in aliquibus defecissent, nam illud apud Ætium ubi supra habemus, Stigmata notæ esse, quæ in facie, aut alia quapiam parte corporis insiguntur, quales videmus in manibus eorum, qui militiam exercent, nisi forte quis malit, ad alium meliorem finem eas notæ in Militum manibus fuisse excitatas; licet sciam Senecam lib. 4. de Benef. cap. 37. de Philippo Macedone narrare, quod cuidam militi iratus, Stigmata inscribi iusserit. Cæterum, inquit, improbissimo militi, ingratiſſimo hospiti, avidissimo naufragi Stigmata inscriberet, ingratiſſimum hospitium testantia, dignum quidem, addens, cui non inscriberentur illæ literæ, sed insculperentur, ex qua auctoritate apparet etiam in signum infamiæ Stigmata militibus fuisse excitata, nisi libeat forte distinguere de Stigmatibus in manibus, & de Stigmatibus in fronte, aut in facie inuisti, illaque in militiæ signum, ut ex Vegetio lib. 1. de re militari cap. 8. & alibi constat, hæc in infamiæ testimonium existisse; sed & inter tormenta Stigmata ab eodem Seneca lib. 3. de Ira cap. 3. connumerantur. Illud certum est Athenienses quoque Samiorum frontes, eo quod ab eorum fide defecissent Stigmatizasse, ut refert Cælius Rhodig. lib. 15. lect. antiq. cap. 27. atque hinc in infamiæ potius, quam honoris signum abiisse patet; unde postmodum factum est, ut infames per metaphoram Stigmatem notati dicerentur; hinc illud, Vitelliana cicataie Stigmosis ex Plinio Auctor in Adag. pro eo quod est, infamis, & nota aliqua turpi indignitatis. huic metaphoræ alludit Martialis lib. 6. num. 64. ibi:

Stigmata nec vestra debet Cinnamus arte.

Et Sueton. in Jul. Cæs. num. 73. Valerium Catullum, à quo sibi vericulis de Mamurra perpetua Stigmata imposita non dissimulaverat, fastidientem eadem die adhibuit coenæ. Sic in vetustissima inscriptione, de qua Gruterus apud Pareum in Elect. Plant. in princ.

HÆC STIGMATA ÆTERNA ACTE LIBERTÆ INVSTA SVNT, VENERARIÆ; AC PERFIDÆ, DOLOSÆ, PVRI PECTORIS CLAVOM, ET RESTIM SPARTEAM, VTE SIBI COLLVM ALLIGET, ET PICEM CATLENTEM PECTVS MALVM COMBRAT SVVM.

Porro

Porro antiqui Romani non frontem solum, aut faciem servorum Stigmatizabant, sed cum fugere tentabant, etiam crura ipsi inurebant, quod etiam Galenus noster testatur lib. 8. de Plac. Hipp. & Plat. cap. 9. & certe Leges in l. si quis in metallum C. de Pœnis. furis tantum, vel brachii, vel manus baseas notas iniuri permittrunt, expresse caventes, ne facies aliquo modo defœderetur. Venit autem hac occasione in mentem id, quod Hermanus Hugo loco cit. cap. 15. ex Poliano, & Gellio narrat, consuevisse nempe Antiquos notas quascunque vellent capitibus servorum inscribere non in aliquod infamiæ signum, aut in poenam delicti, aut fugæ; sed ut succrescentibus postmodum capillis eos ad amicos mitterent, qui raso denuo servi capite, certiores per impressas notas fierent de amicorum mente. sed de servorum Stigmatizatione plura vide apud Pignorium de Servis pag. 19. & deinceps, sed plura, ac pulcherrima apud citatum Hermanum Hugo. de prima scrib. orig. cap. 19. ubi & quales essent inscriptæ notæ habeatur, & quotuplicis generis, & alia scitu digna. Iuxta hunc priscam ritum Stigmatizandi delinquentes in poenam (de quo etiam Gallon. de cruciat. mart. cap. ult. pag. 199.) Iust. Lips. lib. de una Relig. adv. Dialog. agens de coercendis Hæreticis, pœnitique illis infligendis, postquam Stigmata quoque & insultiones frontium adhibendas esse inculcavit, hanc ipsam poenam in usu fuisse testatur in Anglia sub Rege Henrico Secundo anno 1162. allegans ad id historiam Guillelmi Neubrigenſis lib. 2. cap. 13. tunc Episcopi, Ne virus hæreticum latius serperet, eosdem publice pronuntiatos Hæreticos, corporali disciplinæ subjiciendo Catholicis prius tradiderunt, qui præcepit Hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum iniuri, & spectante Populo virgis coercitos urbe expelli. Sed & simile quid habemus in cap. ad Audientiam lib. 5. Decret. tit. 20. de crim. falsi, ubi hæc reperies. Sed his à suis ordinibus degradatis in signum maleficiæ characterem aliquem imprimi facias, quo inter alios dignoscatur.

Sed jam, cum hæc de hujus vocis significatione, & de Stigmatum usu prolixè satis allata sint, ad Stigmata, de quibus nostrum argumentum esse debet pertractanda deveniamus. Hæc, ut ajunt, notæ quædam sunt hominibus à Dæmone impressæ, quibus subjuncta caro insensibilis, & exanguis apparet. Non est autem novum Angelos, seu Dæmones tam bonos, inquam, quam malos certos quosdam homines aliquo caractere signare, ut in plerisque exemplis patet apud Petr. Osterman. de Stigmatib. sect. 6. quæ hic transcribere supervacaneum est: ex sacra namque Historiæ lecturæ hæc quibusvis patere possunt, ut de Chaino erent Genes. cap. 4. vers. 15. de signo Tau apud Ezechielem, & de signis Electorum in Apocalypsi cap. 7. & de signis Antichristi, ut idem Osterman. ibid. sect. 7. sic & apud Dantem Aligherium Angelus ipsum Dantem in fronte signat. ut Purgator. cap. 9.

Sette P. nella fronte mi descrisse

Col punton della spada, e sa, che love

Quando lei dentro queste piaghe, disse.

Sed Stigmatum, de quibus agimus, historia non videtur ita Doctoribus communiter accepta, ut aliqua ex parte dubia non remaneat. primo enim dubium est de eorum essentia, an nimirum vere dentur, an potius commentitium quoddam, ac quorundam signum existant. Secundo, quia non

Libro VII.

omni ex parte ficticia esse apud plerosque constans opinio est, dubitatur in quibusnam personis reperiantur, an scilicet in omnibus Magis Dæmoni emancipatis, an vero in aliquibus tantum. Tertio ejus figuræ, ac magnitudinis sunt. Quarto, an visibilia, vel invisibilia, & an omnia, aut partim visibilia, aut invisibilia. Quinto, an deleri possint, nec ne: & quoad primum non defuerunt qui contenderent, commentitium quid hæc Stigmata esse, nec vere in Magis tale quid reperiri, etiam quidem de præfatis, quæ plures incorruptæ fidei Viri, ac Doctores sanctæ Inquisitionis negotiis addicti experti hæcenus sunt, credere æquum est, nihil omnino certi de ea re firmari potest; immo sunt qui omnino vanum quid esse affirmant, sed pro contraria sententia satis superque mihi fuerit Lectorem ad ea, quæ novissime Petr. Osterman. de Stigmatib. sect. 8. attulit, remittere, hic enim ex quampulcherrimis Doctorum, & Inquisitorum auctoritatibus probavit, hæc Stigmata vere in Magis dari, pluresque experientias in medium attulit, quibus contradicere non tam facile est, addam tantummodo auctoritatibus, quas ille adduxit, duorum Medicorum dicta hoc ipsum contestantium, nempe Io. Hucher. lib. 4. de steril. rubr. An Dæmones immortales, & incorporari, & Bapt. Codronch. lib. 3. de morb. venef. c. 4.

Quoad secundum non desuat ex ipsismet Theologis ea admittentibus, qui non in omnibus Magis Stigmata reperiri asseveraverint, sed in aliquibus tantum, & in hoc etiam non conveniunt, nempe in quibusnam reperiantur. nam nonnulli eos solos Magos Stigmata volunt habere, qui adhuc in Diaboli fide infirmi sunt, & de quibus facile ipse Dæmon dubitare potest, ne à sua fide desistant, unde Bodin. Demonom. lib. 4. cap. 4. Ego tamen, inquit, cum Danæo sentio principes quoque Magos carere signo, aut illud habere loco tam abditto, ut eo signo regegi sit difficillimum, quod etiam Binsfeldius sentit, ut videre etiam est apud Osterman. de Stigmatib. sect. 9. pag. 54. contra vero alii, iis tantum Stigmata conferri à Dæmone volunt, qui jam veterani sunt, & in fide confirmati. sed in omnibus indifferenter dari, quodcumque Diabolo se tradiderint, & nocturnis conventiculis, ac conviviis interfuerint, firmarunt Recentiorum aliqui, quam sententiam mordicus tuetur F. Sebastianus Michael in histor. de trib. Energum. & ipsum secutus novissime Petr. Osterman. de Stigmatib. sect. 9. illud tamen verum esse concedunt, non in omnibus deprehendi, quia aliquando aut invisibilia sunt, aut in occultissimis partibus insidita, ut sub palpebris, sub labiis, sub podice, sub uteri labellis, in aliisque occultioribus locis. aliquando etiam neque carnis colorem immutant, aut ipsius consentiant variant, ita ut nisi ab ipsismet Magis, ac Veneficis designentur, nequaquam à Iudicibus deprehendi valeant, omnes tamen habere hæc Stigmata vel ex hoc uno probare nituntur, quod hic character ab ipso Dæmone impressus in vicem Baptismatis; quem admodum enim Baptisma indelebilem characterem imprimit, ex quo Christianus homo fit, sic ex hoc Stigmatem character in corpore ipsorum Magorum imprimatur, ex quo Diaboli subditi, ac mancipia fiunt; & quemadmodum, inquam, nullus Christianus est sine Baptismate, & cum Baptismate unusquisque homo Christianus est, ita nullus Magus est sine Stigmatem, & cum Stigmatem repertus homo

ij. Bbb

Magus

Magnus est. ita supracritatus F. Sebast. Michael ubi supra, & post ipsum, & ex ipso Petr. Osterman. *ibid. sect. 9. proposit. 6.*

11 Circa tertium quoque dubium discordes sunt qui de ea re mentionem habent; multis tradentibus hæc stigmata nullam habere certam figuram, aliis contententibus ea variam habere, & aliquando vestigii Leporis, aut Aranei, aut Gliris, interdum equi effigiem repræsentare. alii voluerunt esse ad similitudinem manus Bufonis, vel Rubetæ, vel Laertæ, alii imitari Catelli nigri imaginem, alii non omnia eandem fortiri firmant. Recentiores, & præcipue supracritatus F. Sebast. Michael, & prædictus Petr. Osterman. Iureconsultus serio inculcant, ea in singulis Magis ejusdem esse figuram, nempe ad modum Lentis, vel Pisi, nullius tamen coloris, & habere tantum subjacentem carnem circumstante depressiore, quæ visibilia sunt. alias tamen idem F. Sebast. Michael cognosci hæc stigmata voluit ex nota rubra, aut nigra cum prædicta carnis depressione, quod quidem facile sequitur ad faustiones igne excitatas, ut non Medici solum, sed unusquisque etiam novit. cui concinere videtur ex nostris jam citatus Bapr. Codronch. *lib. 3. de morb. ven. cap. 4.* dicens, hæc stigmata insensibilia esse, & perforata, nam forte hac voce, perforata, illud intellexit, quod F. Sebastianus dicebat de carnis depressione. Remigius tamen *lib. 1. Dæmonolat. cap. 5.* ex cicatrice relicta stigmata dignosci inculcat.

Ego licet nullam harum rerum experientiam me habere ingenuè fatear, cogarque quoad historiam, & rei identitatem alieno dicto stare, adimere tamen fidem cæteris Doctoribus, ut uni F. Sebastiano Michaeli prædicto omni ex parte credamus (qui tamen, ut libere meam sententiam dicam, in toto illo suo volumine multa habet absurdissima, non Philosopho modo, sed Religioso viro ob eorum inverisimilitudinem dictu indigna, & quæ apertissimæ falsitatis redarguuntur) nunquam in animum inducam meum. crediderim ergo, licet ut plurimum hæc stigmata nullam fortiantur figuram, nisi qualem ipse F. Sebastianus dicebat, in nonnullis tamen Magis potuisse habere eam, quam alii Scriptores tradiderunt si modo vere hujusmodi stigmata in Magis reperiuntur.

12 Quoad quartum communiter conveniunt Doctores hæc stigmata aliquando visibilia esse, aliquando etiam invisibilia, non est tamen dubitandum nonnulla horum stigmatum, licet ex sui natura invisibilia sint, invisibilia tamen esse aut ob loci, in quo imprimuntur, conditionem, & ipsius impressionis levitatem, eorumque exiguitatem etiam homini perspicacissimo; immo forte in illis omnibus, quæ invisibilia esse creduntur, potest Dæmon absque eo quod intuentium oculos perfringat, aut ex quoocunque alio modo invisibilia faciat, præstare ut minus sensum moveant, quod secundum plurimum fortassis evenit, quia, ut constat, nisi ipsi Magi plerumque ea stigmata in suo corpore designent, vix aliis, ut ferunt, aciem oculorum intendentibus perspicua esse solent.

13 Quoad quintum denique dubium non solum non conveniunt Auctores, sed ipse idem F. Sebastianus Michael sibi ipsi in hoc contradicit, voluerunt aliqui, Dæmonem hæc stigmata suo libitu conferre, ac delere. sed contra horum opinionem strenue pugnat ipse F. Sebastianus, eamque rationem tan-

quam suum Achillem in medium profert, quod cum per hæc stigmatum impressionem subiecta caro mortua sit, nunquam possit per Dæmonem ad vitam revocari, nam tantundem esset mortuum hominum suscitare, quod cum Dæmon nullo modo facere possit, neque poterit consequenter stigmata hæc delere, & carnem in pristinum statum restituere, hoc est ex mortua vitam reddere; & tamen in ipsa historia patet, Dæmonem delevisse stigmata à quadam famola venetica nomine Magdalenæ; & licet addat, hoc ex miraculo contigisse, magis patet absurdum per majus absurdum voluisse illum confirmare, nam Dæmon miracula non potest facere, neque Deus, neque Angeli boni per ipsum miracula operantur, quia tamen de ea re longioribus agendum est, pro nunc id monuisse sufficiat, ex aliorum DD. opinione hæc stigmata deleri à Dæmone posse.

Quamquam autem tot dubia in horum stigmatum investigatione occurrunt, in hoc tamen conveniunt auctores omnes, quod ea duplici conditione sint insignita, utraque quidem maximi momenti, nempe quod omni sensu destituantur, & quod sanguinem non contineant. certum namque est, & multa, ac longa experientia, ut ajunt, comprobatum, partes stigmatizatas longissima acutissimas neque ullum dolorem, aut ullum sensum movere neque sanguinem ullo modo effundere, cum igitur in hoc omnes conveniant, relicti aliis supra allatis dubitationibus sub Iudice, eorum essentiam, & hæc speciem ipsorum naturam supponemus, ut pro eo, quod ad Medicum, & Philosophum spectat, illam examinare possimus, & rei veritatem detegere ostendamus, an dari possint, nec ne, an à Natura, vel ab arte excitari possint, vel ab ipso solo Dæmone, & si quæ alia in questionis processu discutienda occurrant, pro posse discutiemus.

S V M M A R I V M.

- 1 Eos qui scium consentire inter se oportet.
- 2 Quod verum est nunquam redargui potest.
- 3 Nulla tam certa veritas est, quæ suos contradicentes non habeat.
- 4 Magis stigmatizari non videtur, debere esse novum Dæmonis inventum.
- 5 Stigmata conferre non videtur ad ullum finem Dæmonem debere.
- 6 An Dæmon stigmata Magis conferat, ut ab aliis hominibus agnoscantur.
- 7 Ad quem finem Dæmon stigmata conferat.
- 8 Omne animal sanguinem, sanguine nutriti necesse est.
- 9 Omne animal sanguinem ex sanguine generatur.
- 10 Vita est consistentia per alimentum.
- 11 Mors est animalis corruptio.
- 12 Quicquid calore naturalis destituitur corrumpitur ab extraneo.
- 13 Calor præternaturalis naturalis contrarius, & inimicus.
- 14 Stigmatizatas partes non posse esse mortuas.
- 15 Dæmon circa Magos cum in iustitia manibus detinetur nihil moliri potest.
- 16 Ridiculus modus assignatur, quo Dæmon stigmata conferat.
- 17 Gravitas, & levitas corporum non est Dæmoni ulla impedimento.

18 Mortuam partem suscitare idem est, ac totum animal suscitare.

Vtrum ejusmodi Naturæ Stigmata dari possint.

Q U Æ S T I O II.

AT vero plura sunt, quæ adeo suspectam reddunt horum Stigmatum historiam, ut omnino falsam inde aliquis illam judicare possit, ac primo quidem ipsorum Auctorum discordia maximam facit difficultatem, quippe cum, ut Plato de *Naturalium. prope principium* dicebat, eos qui sciunt consentire inter se oporteat in iis, quæ sciunt, & non diffidere, at hæc scire eos oportet, cum sensu ipso assueti illa potuerint, quod si discordes qui de his scribunt in iis inter se sunt, aut ea nescire eos oportet, nullamque de illis experientiam habuisse, aut falsos esse, aut alios fefellisse. veritas enim una est, & quod verum est nunquam redargui potest, eodem Platone *asserente in Gorgia*, unde autem hoc, ut in re, quam sensu assueti licet, tantus hominum dissensus interueniat, ut unus alteri contrarius omni ex parte existat? sed huic dubitationi non omnino deest responsio; nam quæ in mundo tam certa veritas est, quæ suos contradicentes non habeat? an non & alia plura, quæ sub sensum cadunt dubia facere consueverunt qui contradicere sunt parati? an non ipsissimi sapientes, qui non nisi veritatis amore alliciuntur quantum, & quam frequenter inter se discordes sunt unusquisque novit?

4 Secundo consentaneum vero videtur, non esse Magorum stigmatizationem novum Dæmonis inventum, quin credibile est ab eo quoque tempore, quo primum Magos sibi addixit, consuevisse his notis eos signare, sive id in eorum honorem faciat, sive ut pro suis agnoscat, sive etiam ut characterem imprimat in vicem Baptismi, sive ut Chrysuma deleat, quod vanum est. quomodocumque autem, & ad quemcunque finem id exequatur, non major ratio est cur non etiam antea actis temporibus id ipsum fecerit; quocirca mirandum est, vetustiores de ea re ne verbum quidem fecisse, saltem plures eorum, qui etiam ex professo hæc pertractarunt, eos autem, qui aliquid de ea re in medium attulerunt, nihil certi adduxisse: nam quod F. Sebastianus dicit, quod stigmatum cognitio habeatur per traditionem Doctorum, inane est. in tanta enim re non traditione opus fuit; sed firmis, ac minime dubiis testimoniis, quæ quidem sapientiores, si quid certi in hoc negotio experti fuissent, omnino posteris reliquissent. sed ne hoc quidem argumentum sufficiens ad probandum videtur id, quod probare intendit; quis enim est, qui diabolice voluntatis rationem reddere possit, cur magis de presentibus, quam per antea acta tempora his characteribus uti voluerit? nonne etiam si consuevisset semper stigmata Magos signare, potuit ea res permulta sæcula cæteros homines latere?

5 Tertio non videtur, quod Dæmon ad ullum finem moveri possit ad conferenda hæc stigmata neque tamen dicendum est, tam nobile agens quicquam agere absque fine. potuit igitur hujusmodi finis esse aut ut Magos ipse pro suis agnoscat, aut ut ab aliis agnoscantur, aut ut fidos ab infidis discernat, sed prior finis est inanis, quia Dæmon his

notis, aut signis non eget, ut sibi addictos ab aliis hominibus possit internoscere, qui facile non solum sibi addictos, sed singulas personas, & singulas creaturas absque ulla nota non minus quam quisvis homo unguis, digitosque suos cognoscit: quibus addendum, quod si ad hunc finem stigmata conferret, cum semel impressa non amplius deleantur, sufficeret ut semel tantum conferret, & tamen non semel, aut bis, sed centies aliquando uni eademque homini ea insigit, ut referunt Auctores, & signanter F. Sebast. Michael *loc. cit.*

Multo minus dicendum, Dæmonem Magis stigmata conferre, ut ab aliis hominibus agnoscantur, hoc enim pacto non modo illos ad cultum, & servitutem suam non alliceret, sed deterreret potius, per hæc enim signa facile illos proderet in Iustitiæ manus; præterquam quod si ad hunc finem id faceret, semper stigmata imprimeret, quæ visibilia, & conspicua essent, immo multo magis, quam nunc sint & conspicua, & visibilia. at contra ut plurimum indit ea in partibus occultissimis, & aliquando etiam, ut ajunt, invisibilia facit, ut superius etiam dicebamus. at hæc debuit potissima causa esse, ne Dæmon stigmata conferat, & ne Magi stigmatizari se permittant, cum ad Iustitiæ manus lapsi, facile per ea agnoscantur. Neque ut fidos ab infidis agnoscat id facere debet Dæmon, nam eadem causæ, quæ illum prohibent ob priorem finem à stigmatibus conferendis, prohibere etiam debent ob hunc posteriorem.

Ad hanc tamen difficultatem respondetur ex historia ipsa, ex qua patet non ad aliquem ex supradictorum finium, sed ad alios nonnullos Dæmonem stigmata Magis conferre, de quibus vide Petr. Osterman. *de Stigmat. sect. 10. Aitiolog. 6.* duo autem præcipui videntur primus, ut imprimat characterem suæ servitutis; nam quia non potest in anima similem characterem imprimere, qualis per Baptismum ab Ecclesia imprimitur, cum homines suæ militiæ adscribit, facit quod potest, imprimendo suum characterem in corpore in vicem Baptismi. Secundus finis est, ut habeant Magi signum hoc honoris, & familiaritatis cum ipso, inimicæque amicitia, & in premium servitutis, nam idcirco, ut referunt, in nocturnis Magorum conventibus & conviviis hæc stigmata tanquam scintilla relucunt ex ipsis Magorum corporibus, unde qui plura, & graviora facinora perpetrarunt, insignioribus quoque, ac frequentioribus stigmatibus sunt conspicui, ut ex ipso Fr. Sebast. Michael dicit, *jam sepe cit.* Osterm. *loca proxime adducta.* sed si coram cæteris in conventibus relucere debent, cur indantur in partibus occultissimis? sed hæc forte leviora sunt, multo magis urgent quæ sequuntur. nam quarto, supposito, quod hæc stigmata duabus commemoratis conditionibus dotentur, nempe ut partes stigmatizate sensu omni destituantur, & sanguinem non contineant, cum puncta, ac transfixa sanguinem nullum emittant, tunc queri potest, an partes sic stigmatizate vivant, nec ne? nam si velis eas vivere, ut non videtur negare communis Auctorum assensus, tunc certum erit, quod nutritur, at omne animal sanguineum sanguine nutriti necesse est. Arist. *lib. 3. de hist. Anim. cap. 19.* nutritur enim unumquodque ex substantia, ex qua primum genitum est, Gal. *lib. 1. de sem. c. 19.* & omne animal sanguineum ex sanguine generatur. si ergo animal nutritur ex sanguine, certum est, quod

cum quæcunque nutriuntur per tota se nutriantur Gal. lib. 2. de Nat. fac. cap. 4. unde est, quod si quis corpus hominis fecerit ubicunque velit, sanguis calidus fluit Hipp. de Carn. nu. 10. etiam partes stigmatizatae sanguine nutrirī debeant, ac si sanguine destituantur, sanguine nutrirī non possunt, sequitur ergo inde, quod stigmatizatae partes vivat quidem, sed non nutriantur, quod est idem ac si diceret vivunt, & non vivunt, quod est impossibile, & implicat, cum vita nihil aliud sit, quam consistentia per alimentum, vitam enim dicimus nutritionem, quæ per se ipsum fit. Arist. lib. 3. de Anim. tex. 3.

Si autem velis stigmatizatas partes non vivere, tunc necesse erit mortuas esse, & consequenter corrupti, quia mors ipsa est animalis, & partium ejus corruptio. Aristot. sect. 14. Probl. 9. nam quicquid calore naturali destituitur, corrumpitur ab extraneo, Arist. ibid. & eodem calore naturali abscedente, alienus succedit præternaturalis, qui putreficit, cum vero alienus calor semper procedat putrefaciendo, otiosus enim ob ejus activitatem nequaquam est, consequens erit non solum ipsas stigmatizatas partes corrupti, sed successive etiam contiguas, & non multo post tempore totum animal, quod tamen eo modo succedere non experimur.

Confirmantur hæc, quia partes stigmatizatae, (si mortuas eas esse asseras) continent, ut dixi, calorem præternaturalem, qui nativo inimicus, ac contrarius est; unde cum vicinæ, ac contiguæ partes vivat, & naturali calore regantur, hoc absque dubio succedere necesse est, ut unum contrarium ab alio superetur; cum mortui & viventis nulla sit proportio. Hipp. de Vener. capitis. alterutrum ergo ex his fiet, aut naturalem vincit præternaturalis, & sic animal totum interibit, aut præternaturalem superari à naturali, & sic partes stigmatizatae, quæ jam mortuæ erant, reviviscunt, & dabitur à privatione ad habitum regressus, quod est impossibile.

Præterea cum partes stigmatizatae jam mortuæ circumdantur partibus viventibus, quæ necessario nutrirī debent, nutritio autem fiat per vasa hæc illac transeuntia, stigmata, vero non superficiem solum partis, sed etiam profunditatem occupent, nam longa acu in profundum transiguntur absque sensu, & sanguinis effusione, necesse est per hanc profunditatem etiam vasa, per quæ nutritio fit, transire; tunc ergo alterutrum sequatur necesse est, aut nutritionem inceptam terminari in parte stigmatizata, & deinde de novo fieri post ipsam partem stigmatizatam, quod est absurdum; aut partes viventes nutrirī per partes stigmatizatas, hoc est jam demortuas, quod est majus absurdum. nam sit exempli causa humeri totius longitudo A. B. C. stigmatizetur ergo in B. per lineam D. B. E. quæ profunditatem totam humeri in B. comprehendat, tunc nutritio incepta per vasa, quæ perreptant humerum ab A. usque ad C. aut necessario terminabitur in linea transversali D. B. E. quæ stigmatizatam partem comprehendit, & humerum, ac vasa nutritiva interfecit, aut per lineam D. B. E. hoc est per partem stigmatizatam, ac demortuam succederet humeri nutritio à B. in C. & sic pars viva quæ est C. nutrirītur mediante D. B. E. quæ est mortua, cum sit stigmatizata; neutrum autem stare posse naturaliter tam certum est, quam quod certissimum. Adde his, quod cum stigma non so-

lam cutem sensu, & vita privet, sed omnes partes subjacentes etiam venas, arterias, & nervos, necesse est & venarum, & articularum, & nervorum influxum abiciendi per ipsam stigma, & sic omnes, ac singulas partes, quæ stigmati subsunt, nutritione, sensu, ac motu, & vita privari omnino necessarium est. neque enim à spiritu fontibus suscipere eorum influxum amplius possunt parte jam ipsorum vasorum non solum obstructa, sed penitus demortua.

Vtrum autem his difficultatibus satisfieri possit dicendo, in his præstigia concurrere, videant qui hæc adstruunt. Fieri enim posse, dicent, ut Dæmon intuentium oculis perfringat, ne fluerent sanguinem videant, ne Magum ex punctura dolentem agnoscat; sed hoc etiam patitur difficultatem, cum constat, ut ajunt, nihil posse Dæmonem ad sui libitum moliri circa veneficos ac Magos, cum in Iustitiæ manibus detinetur; quam etiam difficultatem haberet, si diceremus, quod Dæmonem Magorum sensum obtundere, ne punctura dolorem sentiant, jam enim plura remedia etiam naturalia ad doloris insensibilitatem Dæmonem suis Magis tradere certum est, ut notat Grilland. de Quæst. & Tort. cap. 4. num. 13. & seqq. quapropter à Iustitiæ ministris solent Rei spolari, omnibus pilis derasari, ne sub illis aliquod hujusmodi maleficium latere possit, & eo modo tormentis subijci, ut notat etiam ex nostris Codronch. de morb. venef. lib. 3. c. 4. sic & si dicamus, Dæmonem ipsum sanguinem retinere, ne fluat, aut influxibilem reddere, in eundem scopulum impingemus. licet alias hoc non magno negotio præstare possit, quippe cum notissimis remediis etiam nobis id procurare liceat medicamentis sanguinem incrassantibus, ac coagulantibus ita ut nullo pacto fluere possit. Quoad partem autem demortuam, si dicamus, Dæmonem eam posse à putredine fervare, cum & hoc per remedia etiam Medicis expertissima, vel idiotæ præstare possint, nam & ipsa integra cadavera à putrefactione per secula fervantur, aut saltem in illis ita putrefactio procraftinatur (nam à primo die, ex quo calor vivificus abcessit, putrefactionem in ipsis incipere etiam si medicamentis condiantur certum est) ut veluti integra multos annos perdurent, nihilo melius prædictæ difficultati satisfaciemus. Sed his ego meliora non habeo ad tuendam ejus facti veritatem, quæ tamen nec mihi quidem omni ex parte satisficere posse existimo.

Ridiculum præterea est, quod tradunt de modo, quo Dæmon hæc stigmata Magis conferat, volunt enim id digitis, aut unguibus perficere, comibus etiam dictum oportuit; quid malum, Dæmonem uti unguibus, & digitis? quasi Dæmon ungues, aut digitos habeat. at, inquit, sic apparere, ergo, inquam, apparet, ac præstigiolosus modus hic est, non verus, & realis. at verum assignasse oportuit, quem miror non elicere, & extorquere ex Magis potuerint Iudices, quos mirandum est huic dicto acquiescisse. Wierus tamen de Præstigiis. Dæmon. lib. 2. cap. 19. imaginariæ hoc stigma in primi putat, non vere, ac realiter; erit ergo quid, secundum ipsum, potius præstigiolum, quam verum, licet huic auctori minus fides præstanda sit, quod neque de iis, neque de aliis permultis bene secundum fidei dictamen sentire videatur, qui non solum stigmatum impressionem, sed pene omnia à Magis, Strigibulque facta ad præstigiolum, vel ad eorum depravatam

S V M M A R I V M.

- 1 Necessarium est dari aliquid infallibile signum, ex quo Magi deprehendantur. contrarium na. seq.
- 3 Ex his, quæ per accidens sunt, nihil quod habeat necessariam identitatem dependere potest.
- 4 Experientia est verum magistra.
- 5 Stigmata, probantur esse ex communi Magorum consensu.
- 6 In Dæmonibus naturalia mansere in sua prima perfectione.
- 7 Sententia stigmata reprobus est Reipublice perniciosa.
- 8 Veritatis inueta semper pro iustitia est.

Rationes nonnullæ in Stigmatum defensionem producuntur, illisque occurritur.

Q V A S T I O III.

Quoniam autem sæpe citatus Fr. Sebastian. Michael, & cum secutus Petr. Osterman. tam anxie laborant in tuenda stigmatum existentia, ut non solum vere dari, sed de necessitate deberi dari contendant, ad idque per plures rationes in medium proferunt, videre operæpretium est, quantum eæ rationes efficiant, ut si quam facere possint difficultatem, eam diluamus, ubi dilui possit, non quia aut impugnare, aut expugnare hanc stigmatum historiam in animum induxerim meum, sed ad eum tantum finem, & effectum, ut veritas elucescat, & ne homines ab aliorum vel persuasionibus, vel mendaciis decipiantur. nam certe ego in tanta re meliora desiderarem, quam ii adduxerint, & supra omnia sensibus ipsis hæc assequi me velim, aut saltem isdem sensibus ab incorruptæ fidei viris comprehendendi: nam Fratri huic Sebastianio quæ fides habenda, cum ipse tanta inverisimilitudine, totque absurdis suam ipsius fidem deturpaverit, atque insigniter infirmaverit? aut quid Petro Ostermano fidendam, qui similis huius viro se totum tradidit? sed ad primam rationem, quam maximi facere videtur Auctor ille, & cum eo etiam idem Osterman examinandam devenio, quæ talis est. supponunt primo, necessarium esse dari aliquid infallibile signum, ex quo Magi pro talibus dignoscantur, rationem asserunt, quoniam alias, cum ipsorum peccata sint secreta, & ipsi pertinacissimi in deneganda veritate, nullo dato infallibili magiæ signo, non possent Magi certitudinaliter dignosci, & sic malum cresceret in infinitum. Absurda quidem ex mea sententia suppositio, ex qua tamen inferant, nullum aliud habemus certius signum ad dignoscendos Magos, quam stigmata, ergo si negemus non dari stigmata, jam nullum dabitur certum signum, ex quo deprehendantur, quod ob necessitatem suppositionis dicere non debemus. Sequitur ergo signum illud infallibile in deprehendis Magis esse stigmata sed quam facile negari possit suppositio unusquisque videt; nam unde emanat hæc necessitas deprehendi Magos? à Natura nec certe non. Magi enim non sunt sua Natura Magi, & hoc, quod est inter Magos connumerari, & pro Mago haberi, est quid per accidens, at ex his, quæ per accidens sunt, ij. Bbb 3 non

varam imaginationem reducit, negans omnia, quæ realiter fieri ab aliis millies probatum, & verificatum est, ut illi objicit Bodinus in consuetat. opin. ejusdem Wieri per totam. non tamen ego inficior, posse Dæmonem ob illam, quam habent illi res naturales omnes obedientiam, sua voluntate movere instrumenta quædam (ut ferrum calidam, aut ignitum, quo Auctor historiae de tribus Emergentis dicit aliquando stigmata à Dæmone conterri) quibus notas hæc, characteres, seu stigmata imprimat etiam absque alio mediante corpore contra Castalpini opinionem, qui cap. 2. In vestig. Dæmon. Perip. vult, eos corpora mediante aere quocunque movere; nam eo modo, quo potest movere aërem, movebit etiam alia corpora, cum gravitas, aut levitas nulli impedimento illi sit. Sed hoc locum habebit in stigmatibus visibilibus, quid autem dicemus de invisibilibus? hæc enim aut alio omnino modo conferri necesse est, aut à Dæmone quicquam circa illa ulterius præstari, nisi diceremus nunquam esse stigmata vere invisibilia, sed talia nobis ex Dæmonis solertia apparere. sed si cum effectu invisibilia aliquando sunt, hoc est, ut nullo modo movere possint sensum intuentium, non assignatur modus, quo conferantur, nisi admittamus illum, quem tradit eadem historia de tribus Emergum. quæ vult, visibilia ferro calido, invisibilia ungue ipsius Dæmonis insligi. equis non rideret hæc audiens? jam serio, ac realiter jam Dæmon unguibus dotatur; nam iis contactu quodam physico stigmata confert, ut hic homo somnariæ videtur.

Qui præterea stigmatum existentiam tueri student, ut præcipue citatæ historiae de tribus Emergum. auctor. & ex eo Petr. Osterman. de Stigmat. sect. 8. & seqq. volunt, ut à principio dixi, hæc stigmata ita partes, ac carnem, vasque per membra perreptantia ita afficere, ut mortem omnino obeant, & in tantum hoc veritatem habere litigant, ut affirmet, Dæmonem non posse amplius partem stigmatizatam vivificare, quod jure dicitur, supposito quod pars stigmatizata mortua sit, tantundem enim esset eam vivificare, ac totum hominem jam mortuum suscitare, quod nequaquam per Dæmonem est factibile, unde concludunt, stigmata postquam impressa fuerint à Dæmone, deleri amplius vel per ipsum non posse, neque per alium, nisi ex miraculo, & sic ex sola virtute divina. & tamen testantur multi has notas à Dæmone deleri, & præcipue pater ex Bodino Dæmonoman. lib. 2. cap. 4. quin etiam in prædicta historia narratur, cuidam famosæ veneficæ, cui nomen erat Magdalena, stigmata à Dæmone fuisse deleta. additur quidem ibi hoc ex miraculo contigisse, gratis tamen hoc dictum esse unusquisque novit, ac nescio qui illi Auctori eam facultatem dederit miracula declarandi, quod tamen nullus, qui temeritatis notam effugere cupit, facere debet, hoc enim soli Ecclesiæ, ejusque summorum Pastori Christi Vicario reservatur. & quod magis suspectam facit ejus historiae fidem, est tanta miraculorum frequentia per ipsum Dæmonem, quod pejus est, patrorum. nam Dæmon ibi plura futura, & maxime de Antichristo pro certo prophætat, immo effudit; & multa, quæ in ea supponuntur, non probantur, qui historiam ipsam reddunt absurdissimam, & aptissimæ falsitatis redarguunt, unde jure optimo prohibita ejus libri lectio est.

non potest habere dependentiam aliquid, quod necessarium habeat identitatem. cum ergo corruat necessitas suppositionis, corruet insimul quod inde deducitur, & sic argumentum inane evadit, de quo certe valde miror, cum apud ipsum Fr. Sebastianum per Dæmonem sit constat, ex quo manifestum sit, Dæmonem illum suum ignorasse logicam, cum deduxerit ex non necessario necessarium. & tamen concessa hac necessitate deprehendi Magos, oportuit signa eorum esse conspicua, ut facile in Iustitiæ manus deveniant, ac contra cum sint secreta, & occulta, & aliquando etiam invisibilia, plures, immo vel omnes effugere poterunt Iustitiæ manus. nam etsi postquam in carcerem deducti fuerint pro Magis non deprehendantur ex stigmatibus, neque poterunt per examina rigorosa, & per tormenta ex propriis confessionibus deprehendi. Sed quod absurdissimum est in hac argumentatione illud est, quod stigmata à Iustitiæ ministris deprehendi vix possunt, eodem auctore asserente, nisi ab ipsis Magis designentur. Itaque ante oportet Magos se pro Magis prodere, quam per stigmata pro Magis dignoscantur.

Cæterum Osterman de Stigm. scilicet. 10. nititur probare quod hæc stigmata à Diabolo sint, & primo Aitiologia 1. hoc probat ab experientia, cui cum sit rerum magistra, & sit, ut dicebat Gal. in 6. de morb. vulg. comm. 3. index rerum evidenter apparentium, ac quietis, veluti & ego acquiescentem, ubi probatos Auctores certi quid ab experientia desumptum in hisce invenisse se affirmantes reperissem; maxime autem ubi eos, quales probatae fidei sunt, cum huiusmodi experientias in medium producant, inter se convenire adnotassem, & si denique nullos Inquisitores invenirem, qui eas ipsas experientias deluderent, & ingenue falsi non essent, nihil quod stabile, ac certum fuerit, se de ea re reperire ullo in tempore potuisse. Immo dedisse operam se, aliqui tacentur, ut ejus rei certiores fierent, nec unquam quid offendisse, quod dubiam credulitatem saltem eorum mentibus excitaasset.

In secunda Aitiologia adducit Osterman communem consensum, & omnium Magorum, Strigarumque confessiones, & depositiones, quibus dicit, non esse contradicendum, & per me ita esto, sed cum eos, qui eos ipsos Magos, ac Strigas præ manibus habuerunt, earundem confessiones, & depositiones suspectas habere contingat, & ipsas experientias infirmare, quid causæ est, quin cum his ipsis alii quoque dubitare de horum veritate non possint? at certe Frater Sebastianus ille, & Osterman maxime assertionem hanc probare nituntur ex depositionibus Mariæ de Sains, Strigæ nimirum cuiusdam famosissima, cuius fides quam suspecta sit, ipsi dixerint?

In Tertia Aitiologia proponit hoc subtilissimum, immo vero tenuissimum argumentum: In Dæmonibus, inquit, naturalia manere splendidissima, & in sua prima perfectione, ergo potest Dæmon, si velit, servis suis stigmata conferre. quod autem velit non est dubitandum, cum sit Misantropos, hoc est os hominum, naturæque humanæ, quam destruere summo opere inhiat, unde procurat stigmatizando partes sensus mortificare, & sanguinem ex istdem partibus elicere, quid tandem inde inferens Osterman? nihil certe quod ad rem tuam faciat. Dæmon, inquis, potest, & vult stigmatizare ser-

vos suos. velit, possit, & cum actu stigmatizet, non idcirco sequitur posse hæc, huius nempe naturæ stigmata conferre, sed per contrarias rationes apparet, non posse.

In quarta Aitiologia dicit, contrariam sententiam, quæ stigmata negat, esse Reipublicæ perniciolam, quia patrocinatur crimini gravissimo, idcirco inferit, hanc, quæ stigmata admittit, esse acceptandam. addit deinde, quod contrariarij huic sententiæ sit condemnare præcipua pene Tribunalia Christiani orbis, quæ jam stigmata pro infallibili Magiæ signo experta sunt. Quibus rationibus dico, aliud esse patrocinari crimini gravissimo, aliud defendere veritatem, etiam si ea sit tali crimini favorabilis, nam si falsitatibus, & mendaciis innitendum est, ut crimina gravia non remaneant impunita, si hoc Injustitia non est, dicat Osterman, quid sit Injustitia.

Veritatis tutela semper pro Iustitia est, ergo semper bona, nunquam mala, nunquam perniciosa, nunquam crimini patrocinans. sed semper utilis, semperque laudabilis; & idcirco semper veritas querenda, mendacia repellenda, non obstante quod illa pro crimine, hæc sint contra crimen. Quod vero negando hæc stigmata condemnentur præcipua Tribunalia Christiani Orbis, non facile credo, cum nonnulla ex præcipuis illa non tam certo, & infallibiliter acceptaverint, ut ex eorum auctoritate sint acceptanda, immo ea controvertere ac refellere adhuc patiuntur, cum adhuc de ejus rei veritate hæsitent.

In quinta Aitiologia demonstrare nititur, hæc stigmata in Reis reperta debere facere indicium ad Torturam, quod ego non detrektor. quod tamen addit, solam sanguinis effluxionem five ex vulnere, five ex ore, & naribus post unum, vel plures dies à morte vulnerati, homicidam indicare, quia experientia hoc docuit, & rarissime fessellit, tam inane, ac falsum puto, quam quod falsissimum, & ex plurium Iureconsultorum auctoritatibus experientia illa nulla demonstratur, eique non esse fidentium ita, ut sufficiens indicium ad Torturam faciat concludit Farinac. Theor. & Pract. Crimin. par. 1. Tom. 2. lib. 2. quæst. 52. num. 156. & videnda quæ attuli lib. 4. Tit. 2. quæst. 8. per rotam. & adhuc etiam si hoc esset verum, nihil concluderet in casu nostro.

Denuo præterea in sexta Aitiologia narrantur causæ, ob quas Dæmon sibi addictis stigmata conferat, ex qua causarum enumeratione nihil profusus deduci potest, quod necessario stigmatum existentiam comprobare possit, cum enim omnes illæ causæ sint contingentes, & non necessariae, & dependeant à libero agente, nempe ab ipso Dæmone, quid mihi invidas ex earum causarum positione, stigmatum existentiam probare? habeat quippe Dæmon ultra connumeratas, mille, & multo plures etiam causas, ex quibus verissimiliter moveri possit ad hæc stigmata conferenda, semper tamen in ejus libera voluntate erit ut conferat, aut non conferat, neque ex iis causis unquam coactus conferat; præterquam quod has causas qui adducit, conjecturali quodam discursu usus putat, se eas assecutum, cum tamen potiores habere possit Dæmon, quare non conferat, partim nobis ignotas, partim etiam undequaque notissimas, an non magna causæ est ad impediendum Dæmonem, ne stigmata Magis conferat, si ex iis ipsis tandem pro Magis

Magis depræhensi, pœnas luere debent? an non à suo cultu hoc modo Magos potius abigere, quam ad illum eos allicere studeat?

In septima Aitiologia ex eo, quod Antichristus suos assecras certo quodam signo sit notaturus, probabile esse deducit, ipsum Dæmonem futuræ illi stigmatizationi omnino præcludere. Sed hæc quantum afficiant, quantumque roboris fortiantur ad probandum quod auctor ille probare intendit, vel ipsi pueruli nondum rationis capaces noscere possunt, nam quamnam, obsecro, hujus stigmatizationis necessitas in Dæmone? Antichristus suos signabit, ut à cæteris discernat, ac pro suis cognoscit, Dæmon autem his notis ad hoc non indiget, gratulique asserit, illum Antichristi stigmatizationi præcludere.

In octava denique Aitiologia supponit Osterman stigmatum existentiam, quam ante concludentius probare oportuit dehinc sequenti argumentatione probat ea à Diabolo esse stigmata, inquit, hæc in Magis reperta aut naturalia sunt, aut supernaturalia. non naturalia, ergo supernaturalia. Si igitur sunt supernaturalia vel divina sunt, vel Diabolica, non divina, ergo diabolica. optima certe argumentatio. sed difficilis est an vere sint hæc stigmata, aut an etiam ex Diaboli potentia esse possint maxime eo modo, quo is Auctor ea admittit secutus quorundam auctorum fati suspectam fidem, ut jam supra ostendimus. nam Dæmonem posse adimere sensum, & vitam alicui parti, illamque sic vita orbantem inter vivas conservare, nisi ex præstigio ita appareat, quod absurdum videretur dicere, omnino est impossibile, & egreditur ejus potentia vires, ut alias diximus, ac de novo inculcatur sumus.

S V M M A R I V M.

- 1 Philosophiam è medio tollunt, qui rerum miraculis fidem non habent.
- 2 Effuscinationis effectus miraculosi, aut Demoniaci censentur.
- 3 Fascinum etiam inter Bruta.
- 4 Fascinum videtur quodam contagij species.
- 5 Fascinatio quid.
- 6 Imaginationis vis.
- 7 Effectus indolentiæ, & non effusionis sanguinis in stigmatibus an ex Magorum imaginatione. vide num. 8.
- 9 Sensus carentia ex morbo provenire potest.
- 10 In Lepra sensus carentia in cute consueta.
- 11 Sanguinem à parte puncta, vel amputata non fluere, à natura esse potest.
- 12 Sensus abolitio, & sanguinis cohibitio ab Arte procurari potest. vide nu. seq.
- 14 Affectio partis ex stigmatibus differt ab ea, quæ ab Arte, aut natura procuratur.

Natura ne, an Arte caro viventis Homini ita affici possit, ut puncta dolorem non sentiat, nec sanguinem effundat.

Q V Æ S T I O I V.

Verumtamen non quia tam mirabilia nobis videantur hæc stigmata, idcirco videretur esse eorum existentia deneganda, quod eorum esse

causæ nos hucusque latere consueverint, nam recte quidem videtur dixisse Florus apud Plutarch. Sympof. dec. 5. probl. 7. Philosophiam è medio tollere, qui rerum miraculis fidem non habent, etenim miracula vocitare solemus ea, quorum effectus notus est, causa vero ignota. ex hac ignorantia, inquit, dubitatio emergit, ex dubitatione nascitur Philosophia, quæ rerum causas inquit; licet ergo hæcenus impossibile visum nobis sit, stigmata dari posse iis conditionibus dotata, quibus dotari jactantur, quia horum effectuum Phisicas causas incompetas habemus, & supernaturales putamus, non desistendum ab ulteriori investigatione, cum dentur in Natura his multo admirabiliores effectus, qui aut ex suis adequatis, & naturalibus causis procedunt, aut mirabiles ex hominum vafritie apparent, qua primam student illi eorum effectuum causas veras alios homines non advertentes cælare, mox autem, ut majorem admirationem suis operibus concilient, aut superiores causas illos referunt, ut ipsismet Hippocrates in lib. de morb. sac. num. 2. & 3. testatum reliquit. & certe si ea omnia, quæ cæteris hominibus pro miraculis accipiuntur examines, & quotidie, passimque fieri observamus, apertissime videbis per naturam tantum, suaque causas singula fieri, an non miraculo proxima existimantur, quæ de fascino ore omnium prædicantur? quoruscunque homo est, qui non miraculo, aut Dæmonis opera fieri contendat, quod solo innitit animalia occidantur, segetes languescant, mare sterile, itemque terra reddatur, ut ipse Hippocr. ibid. dicebat? quod aspectu quorundam puerulis Hæctica, aut Phthisis, aut Marasmus concilietur, lac nutritibus excicetur, dolor capitis ingens quibusdam procuratur, somno interdicitur ad longissimum tempus, corporis alacritas evanescat, & pulchritudo defædetur? quæ omnia ubi que terrarum facile evenire observamus. quorundam certe mulierum aspectu arbores, & segetes contabescere est compertissimum, pecora etiam, aliaque animalia morbosa fieri, ac interire est notissimum, quod & Virg. in Buccol. Elog. 3. testatur in decantato apud omnes carmine.

Nescio quis teneros oculos mihi fascinet agnos. & eleganter cecinit id ipsum Marc. Hyer. Vida Bombyc. lib. 2.

discrimine nullo
 Limine anus omnes monstra inselicia longe
 Pelle, nocent cauti tristes, oculisque malignis.
 & paulo post
 Quandoquidem memini Thuscæ alta in rupe
 Terbi
 Ipse senem vidi se verum, cui dæra rigeant
 Ora, graveque oculis sufficti sanguine circum,
 Fronsq; obscana sua, hiri que in vertice cani.
 Ille truci, scelus, obitu genus omne necabat
 Reptantum tenues animas, parvaque volantes;
 Quin etiam si quando hortos ingrederis, ubi Annus
 Exiit expleto turpem novius orbe senclam,
 Floribus, & passim per agros incantat arbor,
 Ille hortis stragem dedit, arboribusque ruinam,
 Spemque Anni Agricole masti severo caducam:
 Nam quocunque aciem horribilem intendisset, ibi
 omnes
 Cernere erat subito afflato languescere flores,
 Mox albam late nimbum volitare per auras,
 Hæc, & similia nos Dæmoniacæ virtute, non naturali,
 & consueta fieri idcirco putamus, quia vix mente
 ij. Bbb 4 con-

concipere possumus, spirituosam quandam substantiam malignitate insignitam ex oculis, & corpore quorundam egredi, quæ commemorata patrare possit, quamobrem ad maiorem virtutem nempe ad Dæmonem eos effectus referimus, cum tamen alia ex parte hæc adeo secundum naturam sint, ut etiam ipsa animalia rationis expertia Natura multa contra fascinationem edocuerit, & si nonnulla ad hoc scire desideras lege *Ælianum lib. 1. de Animal. cap. 35.* etenim inter ipsa animalia bruta similes effectus elucere ex iisdem causis conspiciuntur, ita ut non ab re dicere possis, ipsa sese inter ipsa fascinare, atque interimere, ut Mustela adversus Basiliscum, de quo *Plin. lib. 8. cap. 21.* & Catoblepon adversus omnia animantia etiam adversus ipsum hominem, de quo *Ælian. lib. 7. de Animal. cap. 5.* & Hyæna adversus Canes, quibus etiam umbra propria est noxia, *Ælian. teste lib. 6. de Animal. cap. 14.* & Gallus adversus Leonem, de quo *Plin. lib. 8. cap. 18.* & *Lucret. lib. 4. de rer. nat. in his carminibus.*

*Quin etiam Gallum nocte explodentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare
Nenu quem rapidi contra consistere Leones.*

Sed & in contagio similia, & admirabiliora observamus, & certe fascinum speciem quædam contagii videtur, nam ea de causa dicimus, fascinationem esse vaporis virulenti à corpore noxiæ naturæ ab alio diffidente aporia, qua alienum corpus habitu, & spiritu per visum, contactum, aut inviam inficitur, ut apud *Lang. lib. 2. epist. 36.* & apud *Ronsleum epist. 48.* vel esse effluxum quendam ab oculis, & corpore fascinantis virulentæ qualitate conspicuum, ex quo illud recipiens corpus inficitur, de quo effluxu si quis plura exempla scire desiderat, ad Auctores de his pertractantes ex professo recurat, ut *Peucer. de om. divin. gen. tit. de Incant. Vair. de fascin. Viet. de prestig. Lang. loco cit. Rons. ibid.* & ex *Iureconsult. alique professoribus Grill. de Sortileg. Martin. de Art. de superst. Ponzinib. de Lamiis. Delric. disquisit. Magic. lib. 3. quest. 4. sect. 1.* & alios, qui omnes pene hæc unam, ac naturalem illam quidem fascinationis causam agnoscunt, non Dæmoniacam, quemadmodum etiam *Heliodor. lib. 3. hist. Æthiop. Alexand. lib. 2. problem. 5. Plut. 5. Sympos. 7. D. Thom. 1. 2. q. 117. ar. 3. ad 2.* neque solum naturaliter id procedit in particularibus hominibus, sed multo magis in quibusdam Populis, veluti narrant, in Africa, ut ex *Gellio idem Langius ibid.* hinc namque si quas pulchras arbores, latiores segetes, amæniores infantulos, egregios equos, pecudes pastu, atque cultu optimas impensius laudaverint, omnia contabescunt, & emoriuntur. hinc illud emanavit, ut alicujus sanitatem, bonamque valeditudinem laudantes, manum oculis admoveamus, ut si quis malignus spiritus in laudatum hominem à nobis emanare possit, is motu manus dissipetur, vulgus autem ad nasum manu recurrit, ignorans quid sibi velit illa manus admotio.

Verumenimvero quæ de fascino commemoravimus, parumper à re proposita abesse videntur; communis accedendum, atque in mentem revocandum, quantum possit hominum imaginatio non in proprium solummodo corpus, sed etiam in alienum; nam & ea omnia, quæ de fascino commemoravimus, nonnulli DD. à sola imaginatione fascinantis dependere voluerunt, qua putant facile

posse vel per spiritus vi Imaginationis à corpore expulsos, vel per quosdam radios, vel ipso Animæ præstantioris imperio in alienum corpus agere, neque solum quidem extra se in aliena corpora, sed etiam in ipsa elementa habere potentiam Imaginationem quidam putarunt, unde & res loco movere, nubes cælo deducere, pluvias evocare, fulgura excitare, mare ipsum turbare, & omnia facere, quæ de se jactat *Medea apud Ovid. Metamorph. lib. 7. Fab. 2.* in his carminibus,

*Diique omnes memorum, Diique omnes noctis adeste,
Quorum ope cum volui, raptis mirantibus Annis
In fontes rediere suos, concessaque sisto,
Stantia concito cantu freta, nubila pello,
Nubilaque induco, ventos ubique vocoque.
Viperæ rumpo Et verbis, Et carmine fauces,
Vivæque saxa, sua concessaque roborata terra,
Et sivas moveo, juboque tremisere montes,
Et magis solum, manesque excire sepulchris;
Te quoque, Luna, traho, quamvis temerata labores
Acta tuos minuam, curris quoque carmine nostro
Pallent, ac pallet nostris Aurora venens.*

nam sunt, ut *Avic. 6. nat. sect. 4. cap. 4.* & alii apud *Torrebell. Demonolog. lib. 2. cap. 27. num. 3.* & ex nostris apud *Thom. Erast. in disput. contra Paracels. par. 1.* qui ipsos Magos hæc omnia, aut eorum partem non aliqua Dæmoniacam vi, sed imaginationis, Animæque humanæ imperio in ipsas res fieri contendunt; unde multo facilius concedere parati sunt, eisdem imaginationis virtute posse interdum & morbos, & sanitatem hominibus procurari, quod si tantam habere vim Imaginationem patet in alienum corpus, quantum habebit in corpus proprium Imaginantis? Im vero quamplura Matris Imaginatio in fetum conferre possit, quin etiam & ipsius Patris tempore concubitus, incaluit rememorabo, cum omnia DD. volumina inhiitis historiis sint referta hæc testificantibus. in proprium vero corpus uterque parentum, ac quilibet homo multo plura potest; an non videmus vehementi imaginatione homines à difficillimis, & insanabilibus morbis sese recolligere? an non Imaginatione ipsa corpus tam sensibilibiter permutari in horas conspiciamus? immo, si nonnullis credimus, non aliena virtute, sed sola Imaginationis vehementia fit, ut homo in Ecstasim raptus de Terra elevetur, & contra naturam propriæ gravitatis, ibi per notabile spatium ex se sustentetur. & quod futura prævidere interdum possit, & alia etiam admirabilia efficere. quod si hæc, quæ tantam nobis admirationem incutiant, ut persuaderi vix possumus à naturalibus causis fieri, tamen fieri observamus, quanto facilius erit credere, posse in Magis dari hujusmodi stigmata, quæ puncta, aut quomodocunque transfixa neque sanguinem effundant, neque dolorem excitent, concurrente ad eorum effectuum productionem fixa ipsorum Magorum Imaginatione, aut certa persuasione hujusmodi stigmatum in eorum corporibus inustorum natura? nam certe imaginatione sanguinem fluentem cohiberi posse neque novum, neque admirabile est; dolorem autem non sentiri distracta Imaginatione ad alia, & quotidiana docet experientia, & multo evidentius Stoicorum Apathia, seu Indolentia, qua ita perluasi, nullum quantumvis atrocem, ac perneabilem dolorem perferre se ostentabant. Quin & in Reis quibusdam experimur, sola Imaginatione doloris

loris acerbitate non sentiri, cum aliquid supersticiosum fecerint, aut secum ipsi portaverint, cuius virtute sibi persuadent, non posse se propria delicta patefacere, unde aliquid Tormentorum acerbiterem vix sentientes ludicum manus evadunt. ac profecto Imaginationem corpus nostrum secundum primas qualitates manifeste, ac insigniter alterare quis dubitat? ad primas qualitates, etiam secundarum effectus consequi quis est qui nesciat? si ergo Imaginatio res timoris plenas sibi representans potest corpus frigidificare, poterit insimul cogere, densare, fluentem sanguinem cohibere, & sic de singulis, quemadmodum & si representans sibi aliquid, quod iram moveat, potest calfacere, poterit ex consequenti, rarefacere, attenuare, aperire, & hujusmodi. Itaque poterunt effectus horum stigmatum mere naturales esse, & à Magorum Imaginatione, vel persuasione certa dependere.

Sed hæc omnia, quæ allata sunt, adhuc non conviunt dari posse hujusmodi stigmata his conditionibus dotata, quibus dotari jactatur. quæ enim de fascino dicuntur sive falsa, sive vera sint, ad præsens negotium nihil omnino facere videntur. si ullam tamen veritatem habent, à suis manifestis causis originem ducunt, quas vulgo ignoras esse nec mirum est, nec quicquam interest; satis superque est, si Philopoli rationabili discursu eas assequantur; quomodo autem ea, quæ ad fascinum tribuuntur succedant multi explicant, vide tamen, si libet, *Thom. Erast. in disput. contra Paracels. par. 1.* *Hucher. de Sterilit. lib. 4. cap. de Lamiis. imaginat. Peucer. de omni divin. gen. tit. de Incantationib. Delrium disquisit. Magic. lib. 3. q. 4. sect. 1.* *Torreblanca Demonolog. lib. 2. cap. 37.* ab sunt ergo omnino effectus illi à miraculi natura, & omnino naturales sunt. quæ deinceps de Imaginationis virtute, ac vehementia in medium producentur, partim quidem falsa omnino sunt, ut quæ de adivitate in alienum corpus jactantur, & quæ de Ecstasi, & elevatione corporum à terra nobis aliqui obrudunt, & quæ de Prophetia, sive futurorum prædictione imponunt. partim vero de raro conspiciuntur, & forte neque conspecta vim Imaginationis consequuntur, quæ tamen quod aliquid possit in iis, cum quibus aliquam sortitur à Natura coordinationem, ego quidem utcumque admitto; illud pro certo duco, ipsam per se, nihil quicquam operari, sed excitatis ob consensum communem, quem invicem habent, cæteris animæ facultatibus. sed de his vide *Thom. Erast. ubi supra. Hucher. ibid. Franc. Ranchin. Patholog. sect. 2. cap. 10. Delrium lib. 1. Disquisit. Magic. q. 3.* ad vero credibile non est, Magos tormentis expósitos Imaginatione ad eos effectus producendos concurrere, qui detecti capitales sibi ipsis sint, ex stigmatum enim detectione absque dubio condemnantur, potius ergo propria imaginatione ad contraria recurrent, præterquam quod, ut ajunt, Magi non advertentes punguntur, ne si advertant, dolere se tingant. Sed videamus ulcerius, an esse à Natura, vel ab Arte aliquo alio modo possit. constat enim primo, sensus carentiam in animalis partibus ex quamplurimis morbis provenire posse, ut in stupore, in Paralyti, in Atrophia, in Sphacelo, & id genus aliis, in quorum nonnullis partes obfessas non minus sensu orbatas esse experimur, quam si ab ipso viventi ani-

mali essent omnino separata; unde eas quovis modo torquere, scindere, urere, transfigere, amputare absque ullo ne minimo quidem doloris sensu, licere comperimus. quod ex eo fit, quia sensus instrumenta obstructa in totum sunt, ita ut à primo sensorio, nempe à cerebro spiritus, & facultatem sensitriceam non recipiant, & idcirco non semper eodem modo sensus hæbetudo, ac privatio contingit, sed quanto magis nervi, per quos spiritus ad partem deferuntur, sunt obstructi, magis inhibetur illorum transitus, & magis item sensus obrunditur, & totali facta obstructione, omnimoda item fit sensus deperditio. Quin etiam non solum ex prædicta nervorum obstructione deperditur sensus, sed etiam ex caloribus, & spirituum in parte extinctione, ut in sphacelo, extincto enim partis calore, evanescentibusque spiritibus, jam pars non est amplius apta, ut transmissam à cerebro sensoriam facultatem excipiat, & sic neque ullo modo sentire potest, quod adeo verum in ipsa praxi comperies, ut aliqui igne partem sphacelatam absumi non perceperint, quemadmodum servo illi evenisse narrat *Paræus operum suorum lib. 11. cap. 12.* qui etiam quotidiana experientia docet, partem sphacelatam punctam, aut etiam sectam nihil sentire. *Fallop. de Tumor. cap. 10.* *Hieronym. Fabric. lib. 1. Pent. Chirurg. cap. 19.* *Riolan. Chirurg. cap. 11.* sed etiam in Lepia 10 hanc sensus abolitionem ita consuetam esse docet experientia, ut cutis longa, ac crassa ac transfixa, nullum causet dolorem, quod maxime pro Lepæ confirmatæ signo adducunt plures Auctores. *Arnald. Villanovan. libell. de Signis Leposorum in sine. Theoric. sue Chirurg. lib. 3. cap. 55.* *Lanfranch. Chirurg. m. doct. 1. tract. 3. cap. 7.* *Paræus, & alii apud Schench. lib. 6. Observ. rubr. de signis Lepæ.*

Nec minus à Natura videtur fieri posse, ut sanguis à parte puncta, aut scissa non fluat, quia ita in parte congelari potest, ut nullo modo fluxibilis existat, consequens enim id est facile in partibus evenire, quæ sphacelari, ac emori possunt, *Fallop. de tumor. cap. 10.* quæ ratione fit, ut in cancrææ sacificatione, quemadmodum testatur *Langius lib. 1. Epist. 40.* ob timorem ne sanguis congelatus fluere nequeat, aqua falsa calente incisiones irrigamus. idemque *Falloppius* cum cuidam non unum, sed plura sphacelata membra amputaret, sanguinem inde non fluxisse narrabat, quod frequenti etiam experientia comprobatur. ac certe si gangræna in sphacelum jam abierit, sanguinem ita congelare necesse est, ut, carne etiam incisa, nullo modo fluat. non solum autem Natura, sed etiam arte, ut nonnullis medicamentis, hæc sensus in partibus amissio, & sanguinis congelatio procurari potest. Nam omnia Narcotica id operari non dubitandum, cum simul, & semel partem stupesciendo à sensu abstrahant, & sua intensa frigiditate sanguinem cogant, ita ut fluere non possit; ut cætera vero præteream, in partibus resuscandis medicamenta hujusmodi virtute prædicta componuntur, quibus fit, ut partes absque sanguinis fluxu, & absque ullo penitus dolore secari possint; qualia plura proponuntur ab Auctoribus, & quale est singulare illud *Bartolomæi Maggii in lib. de vulner. sclopet. cur. relinquunt* *Memphiticum lapidem,* de quo *Dioscord. lib. 5. cap. 115.* & *Plin. lib. 36. cap. 7.* & alia. notum insuper est, dari venena nota nulla.